



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

4. Theodericus I. Francorum Rex varia praedia donat monasterio S. Vedasti, apud Artesios, in vrbe Atrebatensi sito, circa an. 673.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10903

NOTATIONES.

CHILDERICVS) seu Hildericus, Clodouæi Regis filius iunior, an. 655. à patre suo Rex Austrasiæ constituitur; vt Aimoinus lib. 4. cap. 42. & Sigebertus in Chronico tradunt. Anno 664. Lothario Francorum Rege defuncto, idem Childericus à Francis ad regnum euehitur, & an. 667. à Bodilone viro nobili (quem ceciderat) occiditur. Childerico successit Theodericus frater; cuius diploma infra recitabimus.

Diploma istud, si à Childerico in Francia regnante datum sit, ad annum Christi 665. aut 666. est referendum: si à regnante in Austrasia; ad annum 656. aut 657. referas, licet.

CAPVT IV.

*Theodericus I. Francorum Rex varia prædia donat monasterio
S. Vedasti, apud Artesios, in vrbe Atrebatensi sito.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, THEODERICVS gratia Dei Rex. Idcirco potissimum collatam nobis à Deo credimus Imperij dignitatem, vt in tutela & augmento sanctæ Catholicæ Ecclesiæ ipsius piam exequamur voluntatem.

Quapropter nouerit omnium fidelium nostrorum, tam futurorum quam præsentium solertia, quòd adierunt Celsitudinem nostram monachi ex monasterio quod vocatur NOBILIACVS, vbi pretiosus confessor Christi VEDASTVS corpore quiescit, humiliter postulantes, vt regale decretum nostrum super villis, quæ nostra munificentia iam sibi cesserant, firmari iuberemus, vt quæcumque ex inspiratione diuina ipsis contuleramus, imperiali edicto & sigillo ad perpetuitatem staueremus.

Igitur pro salute tam successorum quam antecessorum nostrorum, videlicet Regum vel Imperatorum & pro totius statu regni, inspirante Rege omnium Regum Deo, præfato monasterio & monachis inibi Deo in perpetuum famulantibus regali liberalitate confirmamus, quæ iam eadem liberalitate concessimus, ad matriculam scilicet ecclesiæ, in Atrebatu pago *Atreas, Felci*, ad portam eccle-

ecclesiæ, *Bernuillam, Daguinillam* in pago *Veromandensi* *Mediolanas, Valles, Putheas* aquas: in *Batua Rexnam, Vulfaram* cum capella *Rothem*, & aliam *Rothem*: in pago *Hasbanio & Ribuario*, *Haimbecha, Halmala, Torona*, & inter *Albeim, Maridas, Ambron, Musinium; Groschas*, has villas, mansos dominicales sex, mansos seruiles septuaginta quinque: in *Watrenio, Cambach* cum appendicijs suis & ecclesijs: in pago *Caribant Maxin* cum appendicijs: in *Pabula Montes*.

De his ergo villis, cum omnibus appendicijs & redditibus & mancipijs, per imperialem Celsitudinem sancimus, vt nullus mortalium præsumat aliquid violentia qualibet vel fraude auferre vel demere, sed sicut à nostra liberalitate roborata sunt, præfati monasterij fratrum vsibus in perpetuum cedant

NOTATIO.

Theoderici Regis tumulus hodieque visitur *Atrebat* in *Abbatia Vedastina*, his versibus additis:

*Rex Theodericus, ditans vt verus amicus
Nos ope multimoda, iacet hic cum coniuge Doda.
Regis larga manus, & Præsul Vindicianus
Nobis regale dant & ius pontificale.
In decies nono, cum quinquages duodeno
Anno, defunctum sciet hunc, qui quattuor addet.
Qua legis hæc hora, Dominum pro Regibus ora,
Muneribus quorum stat vita Dei famulorum.*

CAPVT V.

Præuilegium immunitatis concessum Abbatia Vedastina à S. Vindiciano Cameracensi & Atrebatensi Episcopo.

VINDICIANVS Cameracensium vel Atrebatensium ecclesiæ Episcopus, omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ filijs.
Si locis, quæ Deo dicantur, nostra pontificali auctoritate aliquid conferimus, quo in meliorem erigantur statum, credimus nos mercedem exinde à Deo recipere, atque ad augmentum vitæ æternæ capiendæ emolumentum non modicum speramus nobis acquirere.

Qua.